

quomodo ergo sub similitudine denotatur, quod nisi mortuus, solus erit?

16. Respondeo ad quaestionem, quod non est sermo absolute, sed supposita Patris praedicatione; sicut Christus Dominus dixit discipulis suis Matth. 16. num. 22. Quia oportet eum ire Ierosolimam, & multa pati a Senioribus, Scribis, & Principibus Sacerdotum. Et Luc. 24. num. 26. Nonne hoc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Illud oportet, non est absolute intelligendum, sed posito Patris sui decreto, ac Prophetarum praedictione, oportuit Christum pati.

17. Secundò. Rupertus. In praesenti: Filius Dei, qui beatos Angelos immortaliter pascit. Unde autem sibi necessitati restatur cadendi in terram, vel moriendi? Inde videlicet, quia nisi cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert: ergo non idcirco mortuus est filius hominis, quia peccati, vel mortis debitor est; sed ob hoc, ut una mors eius multorum vitam fructificet. Ipse Filius Dei, qui cum Angelis immortaliter regnat, necessitatem proponit cadendi in terram, non quia ipse reus esset peccati, pro cuius solutione indigeret morte, sed ut hominum vitam, ac salutem fructificaret, ac ederet, & si absque hominibus esset, veluti se solum existimaret.

18. Tertio. Si hoc granum frumenti non esset mortuum, seu si Christus non moreretur, semper illud, quod ex natura diuina ei conueniebat, retineret, haberetque semper inseparabilem communicationem cum Patre, & Spiritu sancto, eique semper Angeli, ac homines debita obsequia, ut supremo Domino exhiberent, in tanto tamen decore sine meritum ratione existeret; merita autem ei in tanta sunt aestimatione, ut nostro dicendi modo haec peculiariter in se velit publicari, ac euulgari, ceteris sub silentio positus, ac omiffis.

19. De Christo Domino ait Paulus ad Heb. 10. n. 5. Ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluit, corpus autem aptasti mihi: tunc dicit: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam. Vbi primum Christus ingressus est mundum, statim commemorat sibi datum esse corpus aptum ad immolationem, ac mortem, ut exponunt D. Chrysof. Theodoretus, D. Thomas, & alij. & addit: Tunc dicit in capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam. Cur potius ingrediens mundum non commemorat sibi datam vnionem hypostaticam, ratione cuius Deus factus est homo, & homo Deus? Cur non potius dixit sibi datam potestatem? nam Pater omnia dedit ei in manus. Vel potius suam infinitam sapientiam, nam ut ait Paulus, In quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae Dei: Vel cur potius non dixit amplitudinem gratiae sibi datam? Plenum gratiae, & veritatis; vel potius dona Spiritus sancti sibi concessa? Requesceat super eum Spiritus Domini. Sed tantum proponit sibi datum corpus aptum ad mortem, ac passionem. Vnio hypostatica quamuis sit supernaturalis humanitati, tamen intrinseca, & connaturalis est Christo; sicut & scientia, gratia, ac dona Spiritus sancti, sunt proprietates intrinsecae, ac connaturales ipsi Christo Domino, eiusque ineffabili composito. At verò, quod ei daretur corpus passibile impeditis animae beatitudinis fuit peculiaris dispensatio diuina, ut ipse per mortem mereretur, ut ait D. Ambr. Hoc ex persona dicitur eius, qui corpus suscepit nostrae mortalitatis, ut pro nobis haberet, quid offerret. Adeo ei

fuit gratum, & praecurandum corpus inserti ad mortem, ut ingrediens mundum, primum quod ore habet, ac euulgar, sit ipsum corpus aptum ad immolationem, & meritum; suas verò excellentissimas, ac connaturales perfectiones vnionis, gratiae, scientiae, ac donorum sub magno silentio premit, & abscondit.

Pro quo etiam nota, quod ait. In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam. Non de suo eximio amore in Deum Patrem, ac homines, facit mentionem, sed tantum de promptitudine suae obedientiae, ut faciam voluntatem tuam. Per obedientiam enim particulariter nostram redemptionem, ac salutem promeruit, ut ait Paulus factus obediens usque ad mortem, inde hanc obedientiam primò ante omnia habet in ore.

Ait Paulus 1. Cor. 2. n. 2. Non enim iudicari me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Et tamen ipse in eadem Epist. c. 15. n. 3. ait: Tradidi enim vobis in primis, quod accepi: quoniam Christum mortuum est pro peccatis nostris, secundum Scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die. Et Epist. ad Rom. 8. n. 34. similia habet. Ex quo elegantem quaestionem excitat D. August. Apostolus dicit se solum scire Iesum Christum crucifixum, cum sciat etiam resurgentem, ac ad dexteram Dei Patris sedentem. Praedicat o gētiū Doctor ingentes Christi glorias Resurrectionis, ac Ascensionis, cur ergo te solum dicit scire Iesum crucifixum? Paulus ut magnus Doctor Gentium vtrumque praedicabat, & Christi mortē, ac Resurrectionem eius, ut vniversos in veritate catholica instrueret; ait tamen se solum Christum crucifixū scire, ebitum habebat ingenium sui diuini magistri, qui solum volebat, ut in ipso agnoscerentur, ac contemplerentur mortis abiectiones, non verò resurrectionis splendor. D. verò August. ponit quaestionem, & soluit lib. de fide, & operibus c. 10. tom. 4. Sciant, ait, in Christo crucifixo multa discere homines: eius nempe mortem, patientiam, ac charitatem, quae maxime in eo erant contemplanda. Vide c. 7. n. 90. c. 8. n. 222. 223. 224.

QUESTIO IV.

Quare proponitur, quod ut granum frumenti multum fructum afferat, eius mors debeat interuenire?

22. Igitur in textu, quod granum frumenti, si mortuum fuerit, multum fructum affert. Quaestio est ad quid requiritur eius mors ad fructum afferendum, ad seque multiplicandum in fructu?

23. Respondet. Primò Euthymius. Discipulos Dominus consolatur ostendens per exemplum, quod utile sit, ac necessarium, ut ipse moriatur: Nam in modum tritici mors eius multos adfert fructus, erit & fertilis, ac vilis. Similiter Theophylactus, D. Thomas, Beda, D. Bonauent. Ne ergo discipuli sua morte scandalizentur, explicat fructum ex illa prouenturum, hominibus enim in labore, ac afflictione magnum solamē est utilitas, ac prouentus ipsorum, ac aliorum.

24. Secundò. D. Macharius Episcopus Hierosolym. lib. 2. Concilij Niceni, sic cum quodam Philosopho habet sermonem. Ipse Iesus, ait, erat spiritaliter granum frumenti, quod pro nobis cadens in terram, & carne moriens per suae diuinitatis potentiam, corporale suum templum suscitauit secundum Scripturas.

Corpus ad mortem maxime praecurandum Christo.

20.

21. 1. Cor. 2.

1. Cor. 15.

Rom. 8.

August.

Ingenium Christi ut eius mors in ipso contempleretur.

Christo in magna aestimatione sunt merita pro nostra salute.

Chrysof. Theodor. D. Thom.

Ioan. 13.

Ioan. 1.

Isai. 9.

Ambros.

Ex morte le- su vita no- stra. puerus, fructum afferens totius humani generis resurrectionem. Omnes nos sub morte, ac corruptione eramus, ceciditque diuinum granum in terram, mortuūque appropinquauit, tunc mortui acceperunt vitam, & in resurrectionis fructus conualuerunt, ex Iesu enim morte, nos mortui vitam recipimus.

25. Alb. Magn. Tertio. Albertus Magnus. Christus, ait, moritur in se, ut in multis resurgat in fructu proximorum: moritur nudus, ut resurgat decore vestitus. O magnum pastoribus documentum, moritur non sua quaerens, ut resurgat in fructu proximorum. Cum Praelatus non sua quaerit, nec de suo commodo agit, statim multiplicem suorum fructum parturit, & inde ei tanta gloria cedit, ut si nudus occuberet, magno decore vestitus resurgit.

26. Quarto. Granum frumenti multiplicatur, ac facit fructum dum se exinanitur, ac euisceratur, totamque suam substantiam in spica, ac fructu emittens, & tunc magnos fructus edit, ac parturit: vult princeps proficere, & ut omnia ad magna augmenta procedant, ad hoc dabit sese extenuare, se ac totam suam substantiam diminueret, & in commodum, ac vtilitatem reipublicae transferret, & tunc omnia maxime amplificabuntur, magnumque vitae, ac salutis incrementum recipient.

27. 4 Reg. 4. Theodor. Cum Parens meus Elisaeus vult filium Sunamitidis in vitam reuocare. Ait textus: Ascendit, & incubuit super puerum. 4 Reg. 4. num. 34. Theodoretus, & alij legunt: insufflauit. Cur ad suscitandum puerum tam vehementer insufflauit? Theodoretus insufflauit, & suscitauit adolescentem. Halitus vehiculus est, quo propria vita sustentatur, cum Elisaeus vult puerum anithare, incipit in ipsum halitum suum emittere, tanquam intendens aliquid ex propria vita, ac substantia haurire, ac resumere, ut puero communicaret, ex propriaque vita ei vult alimentum ministrare, & tunc proprio suo halitu ipsum valet viuificare.

28. Gen. 2. Primus parens Adamus è puluere terrae formatur, non ita verò Eua, sed ex costa ipsius Adami. Cur nobilior materia infirmiori vasculo excogitatur? Ad manum Artificis pulvis etiam erat, cur ergo vterque non ex eodem puluere formatur? Creabatur Adamus ut Euae caput, ac Princeps futurus, ut ergo ei fieret manifestum; subditos à praelatis non solum ut rem propriam amandos fore, sed etiam ipsorum vitam, commoditatēque ex principis coltis educendas esse, ideo Eua primus Adami subditus ex eius costa formatur. Tullit vnam de costis eius. Gen. 2. n. 21. debet enim princeps subditorum vilitati propriis expensis, multoque labore, ac sudore suo indenter prospicere. Huc tendit Synesius orat. de Reg. Cui, ait, magni Regis appellationem concessit Deus, cum nullum non laborem perferre, oportet, & ab omni vita commoditate separari, ac somni parcissimi, solitudinum autem plurimarum esse participem, si quis Regis nomen non immerito sibi velit obtinere. Vide tom. 1. cap. 11. num. 45. 46. 47. tom. 3. cap. 8. num. 12.

Vita subditi & costis principis educenda.

Synesius.

29. Deuter. 33.

comparatur leoni, vel aquila, sed tantum tauro? Diogenes apud Dionem orat. 2. de regno. Taurus non solum, ait, ex generosis animalibus est, neque sui ipsius causa fortitudine vititur, quemadmodum leo, & aquila persequentes cetera animalia, suique deuincens cibi causa: qua potius quis tyrannidis eos dicat, quam regni exemplum esse. Taurus autem manifeste ad regni imaginem factus est: cibus ei paratus, & facilis ut nullum necessum sit, ut opprimere illius causa. Leo, vel aquila ad sui sustentationem solent minora animalia occidere, ac deuorare; at taurus de nullius sanguine vescitur, sed tantum his, quae terra sponte germinet, pascitur: nec communiter taurus pugnat, ac luctatur, ut ampliora sibi faciat pasua, sed vt sui gregem tueatur, ac defendat; Ac si dicatur Ioseph cum sis totius Aegypti prorex, ac gubernator, non te debes gerere, ut aquila; vel leo, sed tantum pulchritudo tauri quaerens pabula sine alicuius sanguine. Vide supra cap. 9. n. 77. & c. 29. num. 15.

Diogenes. Princeps non facit de alieno sanguine.

QUESTIO V.

Quare dicitur, quod si granum frumenti cadat in terram, & mortuum sit multum fructum faciat, cum alia requirantur ad fructum proferendum?

30. Igitur in textu quod granum frumenti cadens in terram, si mortuum sit, quod multum fructum affert: non videtur hoc tantum sufficiens ad fructum faciendum, nam saepe videmus granum frumenti proiectum in terram, & ibi iam mortuum, ac corruptum non germinare in fructum, quia exorta spinæ suffocauerunt illud, & multoties ex inlementia temporis natum aruit; cur ergo de his non sit aliqua mentio, sed tantum sufficiens dicitur, quod granum cadat in terra, & moriatur?

31. Respondeo ad quaestionem; quod aliud est loqui de grano frumenti temporali; aliud verò de ipso grano in sensu spirituali; granum temporale non sufficit ut proiectum in terra, & ibi moriatur, ut in fructum multiplicetur: vt probat ratio adducta in limine quaestionis; at verò granum spiritualiter loquendo, de quo hic est sermo, quod est Christus, ac sancti eius, in quibus si mors, ac mortificatio interuenit, certissime primum multiplicato foenore adest. Granum temporale huius saeculi non sufficit ut habeat merita ad primum obtinendum, nam saepe exorta spinæ magnatum, ac principum illud valent suffocare: aliquando etiam ei deest amicorum opportunitas ad impetrandum. At verò granum spirituale si mortificationem, ac mortis humilitatem amplectitur, certissime ad illud primum conuolat, vt nulla vi, ac industria valeat impediri.

32. Cum Iudaei in horto appropinquarent ad Dominum Iesum comprehendendum, ait ipse suis Discipulis. Dormite iam, & requiescite: ecce appropinquabit hora, filius hominis tradetur in manus peccatoris. Surgite eamus. Matth. 26. num. 45. In quibus verbis duo repugnantia videntur inuolui. Dicitur primò. Dormite, & requiescite. Deinde

Diogenes.

Princeps non facit de alieno sanguine.

30. Difficultas quaestiois.

31.

Ex morte amplexatus ob Dei amoris primum certissimum.

32.

Math. 26.

D inde subdit. *Surgite eamus.* Quomodo possunt compati. *Dormite, & surgite,* requiescite, & eamus? termini sunt, qui mutuo se excludunt, & pugnant: D. Laurentius Iustinianus lib. de triumphali Christi agone. cap. 7. *Nellus,* ait, inaniter Dominum in passionibus imitari presumat. Idem enim videtur esse, quod Dominus suis discipulis dixisset, vt surgerent, ac viam arripere ad ipsum imitandum in morte, ac passione, ac simul ei dicere, vt requiescerent, ac dormirent in aeternae felicitatis beatitudine.

33. Videt Ioannes in suo Apocalypsi; *super viginti quatuor thronos seniores sedentes, & in capitibus eorum coronae aureae.* Et statim subdit, quod erant quatuor animalia, & requiem non habebant die, ac nocte, dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus. Tunc ait Euangelista, *& cum darent illa animalia gloriam, & honorem procedebant viginti quatuor seniores, & adorabant vinientem in saecula saeculorum, & mittebant coronas suas ante thronum.* Apocal. 4. num. 9. Implicatio manifesta videtur sub his late- re. Nam in principio capitis dicitur, quod seniores erant sedentes, & simul in capitibus, quod habebant coronas. Deinde scribitur, quod cum animalia darent Deo gloriam, & coronas ante thronum mittebant; animalia autem vt refertur semper Deum laudabant, & in hoc requiem non habebant die, ac nocte: Ergo si seniores adorabant, & coronas mittebant ante thronum, cum animalia Deo gloriam darent, aperte fit, quod seniores nunquam videantur sedere, cum animalia nunquam requiescerent, quomodo ergo seniores narrantur sedentes cum coronis aureis in capitibus? Seniores ex Dei cultu, ac veneratione surgebant, ac coronas suas dimittebant, per hoc maxime habuerunt, vt super thronos sedentes mirifice coronis aureis fulgerent, ac piterent. *Ansbertus. Ad vocem animalium omnes, scilicet seniores, cadunt, & adorant, humiliant se in conspectu Dei. vt cum ipso vident in saecula saeculorum.*

Apoc. 4.

Qui ob Deum coronas dimittit, per hoc maxime ipsum obtinet.

Ansbert.

QVÆSTIO VI.

Quare dicitur granum cadens in terram, & non potius proiectum in terram?

34. **R**ESPONDEO primo, Christus Dominus se comparat grano in terram, potius cadenti, quam in terram proiecto, vt ex hoc sponte, & non suorum inimicorum in se mortem subire ostendat. Secundo non ait, granum cecidit, vel missum est in terram. Quod mittitur, denotat consilio, ac consideratione factum; quod vero cadens est, importat id casu accidisse, quomodo ergo hoc diuinum granum dicitur cadens, cum eius aduentus, ac mors fuissent alto consilio, ac suprema Dei Patris sapientia prædefinita? O magnitudo diuini amoris astute celans in tanto Sacramento operis celsitudinem: vehementia enim amoris est alta, ac suprema sic dissimulare, vt illius altitudo aperte non appareat, sed vt sub alterius minori prætextu se exhibeat, inde illud quod est magno consilio dispositum veluti casu accidisse proponatur.

Diuinus amor astutus celat sui magnitudinem.

35. Cuidam legis perito proposuit Christus Dominus parabolam de homine vulnerato à latroni-

bus, quem Sacerdos & Leuita absque vilo medicaminis beneficio præterierunt. Subdit Dominus *Samaritanus autem quidam iter faciens veni isecus eum, & misericordia motus est, & appropians alligauit vulnera eius, &c.* Luc. 10. num. 33. Samaritanus iter faciens, casu nempe, vt ex communi Interpretum sententia explicauit tom. 3. cap. 21. expol. 6. num. 67. Samaritanus autem ille, idest Christus Dominus, qui à Iudæis Samaritanus dictus est, & dignus hoc nomine, qui à Propheta cultos appellatur; Samaritanus autem cultos interpretatur; ita parabolam explicant D. Augustinus, D. Ambrosius, D. Gregorius, D. Hieronymus, D. Thomas, Beda, & alij, quos retuli citato cap. 21. quæst. 10. num. 69. Samaritanus ergo ille Christus est Dominus, qui descendens de caelesti Hierusalem iter fecit per hunc mundum, vt hominem peccato vulneratum à dæmonibus sanaret, ac curaret. Sed quomodo dicitur Samaritanus iste diuinus iter faciens casu? Nam vt recte ait Theophylactus. *Ex proposito hoc statuens, vt nos curaret.* Ex proposito, & alto consilio ipse ad nos descendit, vt sauciato humano generi medicinam conferret, quomodo iter faciens casu? Diuinitas sui diuini amoris prudenter, ac sagaciter cœlat Dominus dum suum sacratissimum aduentum supremo diuinitatis consilio ordinatum in salutem, ac medicinam nostram, veluti iter factum casu sub parabola exprimit, ac proponit.

Luc. 10.

August. Ambros. Gregor. Auth. Græc. Beda.

Theophyl.

Amor diuinus dissimulat sui magnitudinem.

QVÆSTIO VII.

Quare non dicitur, quod si granum non ceciderit, ac mortuum fuerit, terra erit sola, & inutilis, sed tantum quod granum erit solum?

36. **Q**VÆSTIO præfens est; quate nempe solum necessitas proponitur ex parte grani frumenti, non verò ex parte terræ. Dicitur enim: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Cur etiam non dicitur, nisi granum frumenti ceciderit in terram, & mortuum fuerit, ipsa terra erit sola, & infertilitera? nam si hoc diuinum granum filius nempe Dei ad nos non veniret, semper ipse regnaret cum suis Angelis, terra autem nostræ naturæ esset infructifera, & inutilis. Ecce celsitudo diuinæ bonitatis, ex nostra miseria voluit educere, ac elicere convenientiam ad declarandam magnitudinem suæ bonitatis, ac pietatis; Tantum abest, quod ob indigentiam nostræ naturæ ipsam reiceret, quod potius ex ipsa indigentia pignorus est, vt remedium, & salutem illi præberet, magis veluti considerans celsitudinem convenientiæ suæ infinitæ bonitatis, quam prauitatem nostræ naturæ.

36.

Diuina bonitas ex nostra miseria educit convenientiam ad declarandam suam magnitudinem.

Dixit Christus Dominus suis discipulis. *Quia oportet eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, scribis, & principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* Matth. 16. num. 22. sicut & discipulis euntibus in Emaus ait. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24. num. 26. In quibus maxime obseruandum est. Illud verbum oportet. Quasi ad exaltationem, & gloriam passio ei & mors opus essent. Non ait oportet vos discipuli me pati, ac mori ad vestram salutem

37.

Matth. 16.

Luc. 24.

salutem operandam, sed oportuit pati Christum, vt intraret in gloriam, necessitatem suppositionis scilicet, de qua est sermo, vt dixi ad citatum locum Matthæi 16. supra cap. 6. num. 19. Non explicat ex parte nostra, sed ex sua; tam immensa fuit diuina bonitas, vt ex nostra miseria educeret occasionem ad ostendendam gloriam, & exaltationem Vnigeniti filij sui. Fauet D. Iustinus Martyr in Dialogo cum Thyphone: *Vt sciremus, ait, Patrem voluisse hæc quoque filium pati propter nos, ne dicamus, quod ille cum esset Dei filius paruipenderet, quidquid sibi accideret.* Vide supra cap. 2. num. 49. 50. 51. & cap. 9. num. 19. & cap. 40. num. 84.

D. Iustin.

QVÆSTIO VIII.

Quare cum multi modò Iudæi, ac Gentiles conuenissent ad Christum, tamen hoc diuinum granum dicitur solum, nisi cadat in terram?

38. **I**N præfenti occasione, quando Christus hæc verba protulit, cum ipso simul astabant multi Iudæi, ac Gentiles, vt patet hoc cap. 12. Ioan. 20. Qui ob multam turbam astantem accesserunt ad Philippum, ipsumque rogabant dicentes, *volumus Iesum videre,* ad ipsumque accedere; ergo insurgit præfens quæstio quomodo de se ipso ait Christus, quod nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, cum ante eius mortem tanta multitudo Iudæorum, ac Gentium ad ipsum conueniret, cum ipseque esset, quomodo solus, qui tanta multitudine populorum circumdatus astabat?

Difficultas quæstionis.

39. Respondeo ad quæstionem; verum esse, quod multi Iudæi, ac Gentiles cum Christo Domino astabant; tamen ait, quod sit veluti solum, nisi cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Tota illa Iudæorum, ac Gentium turba, quæ astabat, licet esset magna, parua tamen, ac veluti nihil erat, respectu magnitudinis meritorum Christi Domini, quæ exigebant, vt totus mundus ad ipsam conuolaret, ipsumque sequeretur, ac adoraret; si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum; ac proinde respectu suorum meritorum, cum tanta multitudine solus erat; nam si magnis meritis condigna præmia non persoluuntur tanquam irremunerata manent, ac si nullam mercedem accepissent.

Meres si non proportionatur meritis, idem est, ac nulla.

40. Noctem quandam duxit Rex Assuerus insomnis, iubet adduci, ac legi annales, & historias antiquas priorum temporum. Inter quas scriptum erat, quomodo Mardocheus detegisset, ac annuntiasset insidias quorundam Eunuchorum Regem Assuerum iugulare cupientium. Tunc valde diligenter quaerit Rex, *quid pro hac fide honoris, ac præmij Mardocheus consecutus est?* Nota sequentia: *Dixerunt ei serui illius, ac ministri: nihil omnino mercedis accepit,* cap. 6. num. 3. Quanam veritate dicunt, quod nihil omnino mercedis accepit? Nam ob detectas Eunuchorum insidias. *Præcepit Rex, vt in aula palatii moraretur, datus ei pro delatione numeribus,* Esther 12. num. 5. Quomodo hæc coherent. Si pro delatione data sunt

Esther 12.

Syluestri in Euang. Tom. IV.

munera. Quoniam pacto dicunt, quod nihil omnino mercedis accepit? Verum est, vt docent Dionysius Richel, & Iacobus Tyrinus, quod Mardocheo data sunt munera, sed non respondebant meritis ipsius, vnde nec merces, nec præmium tanti meriti vocari poterant, ideo recte dicunt, quod nihil mercedis accepit, cum nihil suis meritis condignum fuisset concessum.

Dionys. Tyrin. Si merces non respondet meritis, idem est, ac nihil.

Ait Petrus ad Iesum: *Relinquimus omnia, quid ergo erit nobis?* Matth. 19. num. 27. Petrus primus, ac princeps Apostolorum constitutus erat. Matth. 10. num. 2. Totius Ecclesiæ caput. *Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam.* Magnorumque miraculorum operator extabat, & tamen quaerit, *quid ergo erit nobis?* ac si nihil ei datum fuisset. Illa omnia bona licet magna, tamen transitoria huius vitæ erant. Præclara autem merita Petri solum præmio aeternæ felicitatis condigne remunerabantur; ergo quandiu hæc illi non assignabatur, tanquam pro nihil erant cætera omnia Petro. Vide Diuum Augustinum à me citatum cap. 33. quæst. 2. num. 14.

41. Matth. 10.

Solum aeternæ beatitudinis remuneratur condigne Petri merita.

August.

Ioan. 12. n. 25. Qui amat animam suam perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Num. 26. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.

VERSIONES.

D. Cyprianus. Qui amat animam suam in hoc sæculo, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc sæculo, in vitam æternam conferuabit eam.

Lucifer. pro filio Dei mat. hoc sæculo propter me.

D. Augustinus. In vitam æternam inueniet eam.

Arabic. n. 26. Si est, qui adhæreat mihi.

Marin. Si quis se meum ministrum profitetur.

Syriacus. Si quis mihi ministrat, post me veniat: & vbi ego fuero, illic erit etiam minister meus. Qui mihi ministrauerit, honorabit eum Pater meus.

Pagninus. Honore afficietur à Patre meo.

Vatablus. Et honestabit eum Pater meus.